CAR. FRID. KALTSCHMIED

MED. DOCTORIS ET PROFESSORIS PVBLICI EXTRAORDINARII SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINARIENSIS CONSILIARII ET ARCHIATRI, SERENISSIMIQVE DVCIS SAXO ISENACENSIS CONSILIARII ET AVLAE MEDICI,

PROGRAMMA

QVO

PRAELECTIONES

FVTVRO SEMESTRI INSTITVENDAS INDICARE,

MENDATIQVE INSTRVMENTI CHIRVRGICI TROCAR DICTI

SCHEMA

CVM CVRATIONE VIRGINIS HYDROPICAE

PRAEMITTERE VOLVIT.

IENAE,
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

CHirurgiam antiquiſſimam facile medicinæ partem ferro & igne ſæpius extirpare, quod medicamentis fruſtra debellatum fuit, malum, ex operationibus, quas vocant chirurgicas, facile patet. Dolendum ſaltem, hanc maxime utilem & neceſſariam medicinæ partem eousque hactenus exoſam eſſe, ut inter abjectas fere rejiciatur artes, aut cultoribus minus cultis relicta, imo inter rudes magnam partem ſectatores relegata & medico indigna videatur; eo uſque, ut in morbis, qui opem poſtulant chirurgicam, ægro ſæpius deſperato, deſperationem ſibi ipſi diffidentes perverſo addant conſilio, operationemque qvæ niſi fugare plane malum, ſaltem inſigne levamen adferre poſſet ægroto, ex præconcepta opinione, ſolida experientia deſtituti, rejiciant. Sæpius hoc fatum tetigiſſe Paracentheſin abdominis innumera teſtantur exempla. Quam, ſi inſtituti ratio permitteret, uberius commendare non ſuperfluum eſſet, ubi arctioribus inſcripti cancellis noviſſimo ſaltem exemplo eandem comprobare, cumque hiſtoria morbi emendatum ad hanc operationem inſtrumentum chirurgiæ amatoribus communicare placet. Correpta ante duos annos honeſtiſſima virgo hydrope, omnem medicorum ſatis peritorum opem eludente. Nondum annus elapſus erat, ex qvo ægra noſtra malo hoc afflicta erat, omnibus fruſtra adhibitis medicamentis internis, viribus alias nondum exhauſtis, cum ad me accederet plurimum venerandus ipſius parens, cui paracentheſin ſvadeo. Cum variis igitur medicis deſperatum, qvod ajunt, conſilium communicat, omnibus ex eo mortem pronunciantibus. Dubius igitur pater, religioni ducens annis minimo fidere medico, judicio medicorum potius ac lentæ, qvamvis certæ morti, qvam ancipiti operationi tradere filiam ratus, meum negligit conſilium. Imminuuntur vires, augetur indies


malum, eo uſqve, ut peripheria abdominis tres fere expleret ulnas. Accedunt febris lenta veſperæ comes, tuſſis graviſſima, agrypniæ, nauſea, appetitus proſtratus, vomitus, dolores infimi ventris, reſpiratio difficillima, aliaque graviſſima ſymptomata, ægram noſtram eo uſque corripientia, ut oſſa ſupremi & medii ventris vix tenui includi cuticula viderentur, & ſpiritum vitæ pertæſum vix trahere poſſet ægra. Triſtius ante ſemeſtre lætius excipit fatum, quod SERENISSIMVM ad domicilium parentis fert principem, per horæ ſpatium cum illuſtriſſimo quodam comite commorantem. qvi, pro ingenita clementia, patris qverelas de filiæ ærumnis audiens, miſericordia ductus, levamen cruciatuum ex paracentheſi ſuſcipienda ſpondet. Anxie igitur ac pertinaciter inhærente ægrota huic conſilio, parens ad me denuo advolat qvi delatus ad ægram, intuens ſupra memorata ſymptomata vix audendam nimis ſero ratus operationem; conſtanti tamen ægrotæ animo, & aliqvali tono partium fretus, die 3. Maji hujus anni bis inſtitui paracentheſin in dextro latere, tam felic eventu, ut aliquot menſuris aqvæ vix amiſſis, reſpiratio facilior ægram ſolaretur, tuſſis evaneſceret, appetitusque reverteretur, & ægra ſomnum caperet. Diebus igitur qvinto duodecimo, decimo qvarto, & ſexto, repetita alternatim in utroqve latere operatione, ad viginti menſuras aquæ ex cavitate abdominis eduxi. Tutius tamen fore ratus, ſi, quod reſiduum eſſet aqvæ, poſt aliquod præterlapſum tempus educerem, ne, nimium ſimul egrediente cum aqva calore, ægræ viribus officerem, ægrotæ per octo dies valedixi, medicamentis internis congruis datis. Reverſus die vigeſimo qvinto & ſexto, ſexta & ſeptima vice denuo viginti & tribus menſuris aqvæ eductis, ſymtomatibusque omnibus aut fugatis, aut mitigatis, ægram laboribus domeſticis iterum inſudantem, poſt octo dies reliqui. Accedunt poſt aliquot ſeptimanas dolores ex calculo renum exqviſitiſſimi, abdomen denuo repletum aqva, excernuntur duo calculi ad piſi magnitudinem accedentes, ægra denuo levamen ex paracentheſi poſtulante. Acceſſi, ac bis facta operatione viginti aqvæ menſuras eduxi

ægræque optime levatæ denuo valedixi. Neque tamen adhibitis purgantibus, atque diureticis, roborantibus, aperitiuis & abſorbentibus, extravaſationem lymphæ in malo jam rebelli præcludere poteram, quin ea denuo cavitatem abdominis inundaret. Jenam itaque defertur die 26. Aug., ubi nona, decima, undecima ac duodecima vice operatus ad 58. denuo menſuras aqvæ eduxi, calculo inſimul renali cum vehementiſſimis doloribus piſi magnitudinem exſuperante denuo excreto. Doloribus iam vacua ægrota, appetitu, corporisque refectione ſanam repræſentans, amiſſis per duodecies factam operationem centum & viginti ſex aqvæ menſuris, recuperatisque indies magis corporis animique viribus, jam pro more pie ſummi auxilium archiatri efflagitat operationisque utilitatem cum multis bonis agnoscit & laudat, probe gnara, aut curari, aut levari poſſe eadem ægrum, jam omni levamine deſtitutum. Nos quod ſupereſt, ad ſummum numen pias fundimus preces, ut ægræ nobisque ad curam feliciter peragendam porro ſua adſit gratia, ad ſui gloriam ægræque ſalutem. Optime inſtrumento *Trocar* dicto, hanc hactenus ſuſceptam fuiſſe operationem in vulgus notum. Illud autem mihi quandoque laborem magis moleſtum reddidit, qvando anterius orificium obturari debuit, ubi ægræ intervallum permittere placet, ne per nimis citatam aqvæ eductionem, calor uno impetu nimis imminutus vires ſimul ſecum rapiat, ægræqve ſubita mutatione noceat. Hinc inſtrumentum *Trocar* dictum ad hunc finem magis accommodare, commodiuſque reddere conatus, cum epiſtomio inſtrumentum perfici curavi, ut ſchema adjectum refert. Immiſſa itaque cannula cum ſtylo aculeato convenienti loco abdomini, extractoque ſtylo emiſſa qvantitate aqvæ ad normam virium ægrotantis, leviſſimo labore vel aperitur vel obſtruitur. Id qvod pauciſſimis de paracentheſi monere placuit, ubi prælectiones futuro ſemeſtri habendas indicare, officii noviter demandati ratio poſtulat. Anteqvam vero id fiat, pietas poſtulat, ut SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS, Salanæ noſtræ Nutritoribus

clementiſſimis humillimas agam gratias, qvod profeſſionem, qvam vocant extraordinariam medicam, gratioſiſſime mihi deferre voluerint. Supplex veneror immortale numen, ut SERENISSIMOS PRINCIPES CVM FAMILIIS ILLVSTRISSIMIS in ſplendorem orbis, noſtræque inprimis academiæ in perpetuo flore ac vigore conſervet, omnique proſperitatis genere perpetuo ornet, me vero aptum reddat ad decentem officii demandati functionem. Eſt igitur, ut *vobis jam Generoſi, Nobiliſſimi atque doctiſſimi domini Commilitones*, me totum conſecrem, teſterque, me ex inſerviendi vobis ſtudio maximam capturum voluptatem. Ex innumeris hactenus documentis, veſtra erga me propenſio ſatis innotuit, qvam exoſculatus, ut eodem fervore in poſterum reſervetis, ea, qva decet humanitate rogo atque obſecro, meque ad qvælibet officiorum genera promtum ſpondeo atque paratum. Prælectiones hoc ſemeſtri ſuſcipiendæ, denique ſunt indicandæ. Publice igitur die ♂ & ♀ris ab hora III ad IV. pomeridiana ſtatum corporis ſanum docebo. Hora nona matutina diebus ♂ ☿ & ♀ chirurgiam ad ductum compendii Bohniani perluſtrabo. Inſtrumenta, operationesque, & varia experimenta ingenue communicabo. Hora undecima materiæ medicæ inſudabo, ubi ad ordinem quidem pharmacopolii mei me accingam, *Illuſtris* tamen & *Magnifici Teichmeyeri*, Patroni & Collegæ, olim Præceptoris pie colendi librum in materiam medicam elegantiſſime ſcriptum nuperque editum ſub titulo Inſtitutionum in materiam medicam, in ſubſidium vocabo & perluſtrabo. Hora II pomeridiana compendium praxeos clinicæ in cineribus adhuc *maximi Wedelii* explicabo. Hora III pomeridiana diebus ♄ ſectionibus anatomicis ſedulo operam dabo.

Hi ſunt labores per futurum ſemeſtre ſuſcipiendi ac pro virili abſolvendi, qvos, invitatis prius generoſis nobiliſſimisque commilitonibus promiſſisque ipſis omni ſtudio, fide, ac dexteritate, ſummo numini devotis precibus commendo.

datum Jenæ MDCCXXXVIII. die VI. Octobr.




Explicatio Schematis.

Fig. a) Inſtrumentum *Trocar* dictum cum epiſtomio repræſentat.

Fig. b) Cannulam alatam monſtrat.

Fig. c) Epiſtomium cum foramine ſtylo accommodatum oſtendit.

Fig. d) Stylum aculeatum foramen epiſtomii exacte replentem & anteriori cannulæ aperturæ accurate adaptatum, ne remora fiat in ſuſcipienda operatione, exhibet.



Explicatio Schematis.

Fig. a) Inſtrumentum *Trocar* dictum cum epiſtomio repraeſentat.

Fig. b) Cannulam alatam monſtrat.

Fig. c) Epiſtomium cum foramine ſtylo accommodatum oſtendit.

Fig. d) Stylum acuſeatum foramen epiſtomii exacte replentem & anteriori cannulae aperturae accurate adaptatum, ne remora fiat in ſuſcipienda operatione, exhibet.